



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 10. Preces solemnes Romæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](#)

mam, a S. Francisco restauratam, ubi per Saecul. XIII.  
annos quadraginta duos versata, com- A.C. 1212.  
plures conversionis suæ socias congre-  
gavit.

Hoc Instituti pauperum mulierum,  
Italice delle povere Donne, quod nos Or-  
dinem S. Claræ dicimus, exordium fuit.

### §. X.

#### *Preces solemnes Romæ.*

Moniales aliæ, ut superius memoravi,  
necdum penitus inclusæ erant; quod  
etiam ex illis Summi Pontificis manda-  
tis despiciimus, quibus hoc anno solemnes  
preces, ad implorandum adversus Mau-  
ros in Hispania Dei auxilium, præcepit.  
Anno millesimo ducentesimo decimo *Rodrig. 7.*  
*Alphonsus IX. Rex Castiliæ inducias,* c. 34.  
cum *Abu-abdalla Mabomet, Emiralmu-*  
*menin* quarto ex stirpe Almohadum, in  
Africa & Hispania dominantium, initas  
fregerat, tumque, bello invicem dicto,  
Mauri multas urbes in suam potestatem  
redegerant. Ergo Rex Alphonsus ab o-  
mnibus Principibus Christianis, Rode-  
rico Archiepiscopo Toletano aliisque Le-  
gatis in varias Provincias missis, opem  
rogavit. Papa quoque, edoctus peri- *idem 8. c. I.*  
culum, Hispaniæ formidandum, datis  
ad Præfules illius Regni literis, monuit;  
ab omnibus Regibus Christianis contra  
Infideles militum subsidia peterent.

S 4

Cum-

Sæcul.XIII. Cumque Rex Castiliæ, Episcopum Segobiensem electum Romam misisset, ad  
 A.C.1212 acceleranda auxilia, Pontifex, datis ad  
 13.en 183. Præsules Franciæ & Provinciæ, ac in pri-  
 14.ep.3.45. mis ad Archiepiscopum Senonensem li-  
 14.ep.154. teris, præcepit; omnes Dicæsanos suos  
 155. hortarentur, ut ad pugnam adversus  
 Mauros, infra octavam Pentecostes an-  
 no millesimo ducentesimo undecimo ob-  
 eundam, proficerentur, eamdem pro-  
 mittens Indulgentiam, quæ Crucigeris  
*Roderio. 8.* concedebatur. Ita Rex Castiliæ valida  
*c.1.2 ev.ap.* agmina non ex Hispania modo sed etiam  
*Innoc.XV.* ex Provinciis ultra montes positis acce-  
*182.* pit. Non nulli Præsules ad hoc sacrum  
 bellum profecti sunt, ex quibus Archiepiscopus Narbonensis, Arnaldus olim  
 Abbas Cisterciensis, Archiepiscopus Burdegalensis, & Episcopus Nannetenensis  
 eminuerunt. Francorum duo millia vi-  
 rorum Equestrium cum suis armigeris,  
 ac præterea decem millia equo, ac quin-  
 quaginta millia pedibus militantium ad-  
 fuerunt. Tunc vulgo *Sergens* grega-  
 rii milites, Equestris Ordinis viris in  
 prælio parentes, seu servientes, dice-  
 bantur.

*vid. Cang.* Romæ vero Papa omni populo inter  
*Gloss.* preces solemnes, Feria IV. Pentecostes,  
*serviens.* die decima septima Maji, anno millesi-  
 mo ducentesimo duodecimo, proceden-  
 dum esse indixit, ritumque præscripti-  
 jn

in hunc modum: Summo mane mulie- Sæcul. XIII.  
res ad S. Mariam Majorem, Clerici ad A.C. 1212.  
Basilicam duodecim Apostolorum, & Lai-  
ci ad S. Anastasiam colligantur, ac exin-  
de omnes ad Forum Lateranense pro-  
cedant, hoc ordine. Mulieribus Crux  
S. Mariæ Majoris præferatur, Moniales  
primæ eant, tum alia, omni vestium cul-  
tu, in quo vel aurum vel sericum splen-  
det, abjecto, & nudis, quotquot pote-  
runt, pedibus. Clericos præcedant  
Monachi & Canonici Regulares, Laicos  
vero Hospitalarii. Congregatis in foro  
omnibus, Papa cum Episcopis & Cardi-  
nalibus intrabit Ecclesiam, quæ Sanctum  
Sanctorum dicitur, &, accepta vera Cru-  
ce, ad gradus in medio fori procedet,  
unde dicet ad populum. Tum mulie-  
res ad Ecclesiam S. Crucis digrediantur,  
ubi Cardinalium alicujus Missæ intere-  
runt. Papa Missam pro omnibus Cle-  
ricis Laicisque in Basilica Lateranensi  
celebrabit, unde nudis pedibus ad S. Cru-  
cem transeant. Omnes jejunent, nec  
pisces, nec cibum coctum comedant, qui  
poterunt, in pane & aqua jejunent, & lar-  
gissime eleemosynas dividant.

## §. XI.

*Alphonsi IX. de Mauris Victoria.*  
Haud diu post Pontifici redduntur li- ap. Ann. XII.  
teræ, a Rege Alfonso scriptæ, in ep. 182.  
S 5                quibus